

## VII.

### U r k u n d e n

zur

### w e s t f ä l i s c h e n G e s c h i c h t e während des dreißigjährigen Krieges.

Aus dem Chigi'schen Archive zu Rom mitgetheilt.

von

Dr. Florenz Courtual.

(Schluß aus Zeitschr. Bd. 27, S. 335 — 359).



### 43.

Cod. Chis. Q. II. 52, p. 187.

Beschwerden über die contraventiones Suecorum im  
Osnabrücker Sprengel. Münster 1647, October 15.

Celsissime Princeps es Ecell. DD. Regis Christianissimi Pleni-potentiarij.

Septemdecim menses integri sunt, ex quo tum Celsmus Princeps ac Episcopus Osnabrugensis, tum DD. Caesarei Plenipotentiarij tum alij merito et apud Celsme ac Excell. VV. et apud DD. Plenipotentiarios Coronae Sueciae conquestisunt de violatis praeliminariibus circa parochias binas in Gerden et Wallenhorst Dioecesis Osnabrugensis ex parte dicti Domini Episcopi imo et DD. Mediatorum, omni diligencia per regis Christianissimi authoritatis interpositionem, imo et juris, quod tam ratione confoederationis quam dictorum praeliminarium regijs manibus signatorum habet, remedia saepissime quaesita. Nec de satisfactione obligationis, quam rex Ludovicus XIV. innocens a se debitam per pietatem reginae matris agnoscit, zeloque Celsnis et Excell. VV. unquam fuit dubitatum, quem toties contestati sunt; omnes tamen boni imo ipsae integrae ecclesiae ac multorum millium ani-

mae, quae vel hactenus exinde perierunt, vel adhuc in periculo constitutae sunt, clamant et ingemiscunt, non solum effectum desideratum ac debitum remedium non sequi, sed indies malum ulterius serpere, cum duabus illis praedictis, misere haereticis traditis, Ecclesiis jam plures et quidem ultra 16 adnumerare sit, quod plenius adjuncta ostendit designatio, et periculum certum immineat, ne tandem intra paucos menses, cum de pace terrestri tractatur, plures aeternam requie ac salute priventur; et tamen nec media nec remedia desunt, modo deesse Deus non cogatur, cuius ratio merito prae coeteris habenda, et timeri debet, cum ipse possit mittere in gehennam ignis. Quae adversarij regerunt et, cum futilia diluuntur, indies nova fingunt, ea non sunt quae sollicitudinem Episcopalem satiare (*sic*) possint, prudentum iudicio satisfacere valeant, minus zelum Celsnis et Excellen. VV. fatigare debeant. Pastores Catholicos vi, minis et inhibitionibus suis Ecclesiis privatos, domibus ejectos, redditibus exutos (quod et alijs Ecclesiasticis contigit), seminarium Clericorum S. Silvestri, quod redditibus hoc tempore qualibus qualibus sustentabatur extinguendum, omnes communites Catholicas non contentas esse intrusione Praedicantium, adjuncta docebit informatio, et ulterior, si desiderabitur, dabitur. Nec hic annus 1624 nec similia allegari cum ratione aut valide possunt, cum solus terminus conclusorum praeliminarium in hac causa constitutus pro regula manere debeat, quoisque tractatus pacis aut firmantur aut (quod Deus avertat) abrumpantur, idque non solum in Ecclesiasticis verum et politis; sed quot modis ijsdem praeliminaribus ex parte Suecorum contraventum sit, dicta informatio etiam demonstrat, nec quod obtendere solent per Domini Episcopi militiam conclusis Hamburgensibus contraventum prius tantam iniquitatem excusat, quia id constanter et cum ratione solidiori negatur, quem asseritur, desuperque sententiam totius legatorum conventus Dominus Episcopus saepe poposcit, seque iudicio illorum (quod tamen altera pars temper refugit) subjicere paratus fuit et etiamnum est.

Et dato non tamen concesso, ita esse, num ideo arbitrium partis determinare habebit omnia praeliminaria sublata in omnibus casibus sibique omnia, ut agit, pro libitu licere? Et quis militiae Caesareae ac Domini Episcopi imo et Civitati Monasterensi idem iustum esse negabit, cum se unam partem solam praeliminaribus ligari non censem? Et quo securitas tractan-

tium? quae authoritas in verbo regio? imo quae spes in fide publica?

Si militia Domini Episcopi male praeliminaria violasset, Suecia suam contra explevit libidinem; sed cum aliud sub praetextu hoc quaerat, satiari non desiderat. Ne vero periculosiora modo enarrata subsequi possint, omnium malorum optimum et facillimum est remedium restitutio in integrum tam in Ecclesiasticis quam Politicis prout ante hac fuit, praesertim in utroque districtu Fuscenoviensi (*sic*) et Reckenbergensi damna perpessa, et quae in posterum in utraque Civitate Furstenoviensi (*sic*) et Widenbrugensi militaria spectant, a communi Legatorum Collegio juxta dicta Praeliminaria determinari, aut alias de novo ordinari poterunt. Si tamen hoc non obtineri possit, dictus Dominus Episcopus protestatur, se innocentem et nil tam pro conservanda religione quam animarum salute procuranda securitateque praeliminarium ac tractatus pacis intermisso, et ad judicium divinum praesertim quoad animas sibi commissas provocat. Confidit praeterea in zelum et autoritatem Cels<sup>mi</sup> et Eccell. VV. quae tantam injustitiam post tot implorationes hucusque apud easdem in maā Ecclesiarum, Ecclesiasticorum ac religionis factas non volent amplius durare, et per hoc uti apud Deum mercedem tam regi suo quam sibi cumulabunt ac dictum Dominum Episcopum, qui se alias obligatum agnoscit, adhuc magis devinctum habebunt. Monasterij 15. octobris A<sup>o</sup> 1647.

#### 14.

*Coutraventiones ex parte Suecorum in Dioecesi Osnabrugensi circa praeliminaria Hamburgi manu regia fideque publica 15/25 Decemb A<sup>o</sup> 1641 conclusa patratue.*

Clausula ex predictis praeliminariibus concernens ita se habet: „In cognominem vero dioecesim (id est Osnabrugensem) neutra belligerantium pars plus juris factive sibi sumat, quam tempore huius tractatus habent“<sup>1)</sup>.

Hic praesupponendum, uti certissimum ac notorium, non solum longe ante, sed tempore et in conclusione praeliminarii Dominum Episcopum ac Principem Osnabrugensem Franciscum

<sup>1)</sup> Vgl. v. Meier Acta pacis Westph. publicae über Westph.  
Friedenshandlungen I. S. 8. ff. — Rumpf.

Guilielmum et in vera, reali ac legitima possessione fuisse utriusque satrapiae districtus Furstenauensis ac Reckenbergensis<sup>2)</sup> dictae dioecesis, omnemque jurisdictionem ac jus tam in spiritualibus quam temporalibus et habuisse et exercuisse usque ad injustas violentias et contraventiones sequentes.

*In spiritualibus.*

1. Primo itaque **12. Martij 1645** in Parochia Gerdensi mortuo pastore Catholico Amelungio Sartorio per praedictum Dominum Episcopum alius qualificatus substitutus, per Domini Gustavi Consiliarios (ut se vocant) amotus, et Praedicans Lutheranus intrusus fuit.

2. **10. Januarij 1646** similiter mortuo Pastore Catholico in Walenhorst Friderico Rutgeri dictus Dominus Episcopus Joannem Hoetmar Catholicum canonice substituit; quem pariter alio praedicante intruso amoverunt.

3. Occupata Furstenavia **11. Junij 1647** statim **4** diebus post, nempe **15.** ejusdem mensis, cum D. Joannes Brinckmann Decanus Christianitatis Quackenbrugensis et Pastor ibidem ob crastinam Dominicam et festum SS. Trinitatis ad vesperum signum consuetum pro populo ad devotionem convocando dari fecisset, comparuerunt Dr. Hast, Dr. Modde man, Licentiatus Stauden (qui se consiliarios Domini Gustavi dicunt) una cum Praedicantibus Magistro Gravio et M. Pecklinio exhibentes mandatum *sub litt. A.* et ab Ecclesia et officio eundem amoverunt, una cum succentore Capellano et Ludi magistro, subituendo et introducendo in Ecclesiam Praedicantem Magistrum Vitum Buscherum, qui etiam sequenti die, secundum antiquum calendarium (amoto Gregoriano ibidem per 19 annos observato) Penthecostes festum denuo celebrari fecit, et ipse concionem habuit, similiter seqentibus diebus ipse parvolorum scholis alium praefecit, qui etiam suum scellanum agit, una cum alio quem Correctorem vocant.

<sup>2)</sup> Zu Wiedenbrück und im Amte Fürstenau hielt Bischof Franz Wilhelm noch im Juli 1644 eine Kirchenvisitation; auf dem Schlosse Reckenberg verweilte er, als er im November 1645 von Münster aus nach Wiedenbrück ging, um das hier im vorigen Jahre gegründete Franziskanerkloster einzurichten; im Amte Fürstenau schritt er in geistlichen Sachen noch im Jahre 1646 ein. Vgl. Goldschmidt Franz Wilhelm (1866) S. 118 ff. 125 f. Rump.

4. Die 17. Julij similiter amoto Catholico Pastore in Anekum intrusus fuit Praedicans Joannes Arcularius, uti *sub. litt. B. C.*

5. 21. Julij dicti consilarij Gustavi mandatum dederunt ad praefatum decanum et Pastorem Quackenbrugensem ut *sub. litt. D.*, quod ipsi sequenti die intimatum fuit, et Conradus de Muntzenbruck, Quaestor Domini Gustavi, vigore huius mandati redditibus<sup>3)</sup> Capituli Collegiatae Ecclesiae S. Sylvести sub suam administrationem sumpsit, destituendo praedictum Decanum, et substituendo Hilmarum Voss Procuratorem Fiscalem.

6. Privando praeterea dictum Decanum Redditibus Vicariae eujusdam in Menslage, quam justo titulo hactenus possedit, et missas celebrando fundationi satisfecit.

7. 22. Julij amoto Catholico Pastore in Battbergen per consistorij (ut vocant) Gustavini mandatum *sub litt. E.* institutus est Praedicans Justus Swandelius.

8. 9. 10. 11. Similem amotionem paucis diebus post expertus est Pastor Civitatis Furstenaviensis, item Bippensis, Menslaccensis et Uffelensis, omnes Catholici, qui, intrusis Praedicantibus, suis Ecclesijs ejecti sunt.

12. 25. Augusti eodem modo amotus fuit Lucas Beckman, Catholicus Pastor in Alfhausen: Nam missus Joannes Edler Praedicans a Consistorio Gustavino *cum mandato litt. F.* dicto Pastori per subpraefectos idem intimari fecit, arbitraria poena comminata, ni dictum Praedicantem admitteret: Cui tamen praefatus Pastor cum aliquibus ex parochianis se opposuit; et cum dies dominica sanctoque Ludovico Regi sacer esset, intravit templum et more solito Missam decantavit; data autem benedictione, sub lectione S. Joannis Evangelii Praedicans Cathedram violenter conscendit et pro concione dixit. Post octiduum reversus mandato regiminis Dni Gustavi dictum Pastorem coëgit regista ecclesiae, simul et Pastoratum atque aedes tradere, opem Praefecti et ministrorum Suecicorum implorando uti etiam Custos claves ecclesiae tradere coactus fuit.

13. 14. Idem est de Catholicis Pastoribus in Damme et Newenkirchen prope Voerden, qui etiam elapso mense septembri pulsi sunt.

15. 16. Licet supradicti omnes et singuli longe et annis plurimis ante praeliminaria fuerint parochijs praefecti, et hucus-

<sup>3)</sup> Wohl verschrieben statt redditus.

que in quieta Catholicae religionis exercitij possessione: tamen notandum valde est, eousque ex parte Suecica processum esse, ut Voslagensis et Bergensis Pastores Catholici qui ante 50 annos a Philippo Sigismundo<sup>4)</sup> ad Ecclesias illas uti Catholici admissi fuerunt, easque debite administrarunt, similiter ante aliquot septimanias amoverentur; prout etiam alibi in dioecesi pluribus<sup>5)</sup> a Philippo Sigismundo praefato sic instituti erant, non solum contra praeliminaria sed etiam contra pacta deditiois Civitatis Osnabrugensis contigit.

17. Quoad redditus, qui ad festum S. Jacobi juxta consuetudinem et constitutiones synodales integri unius anni a singulis deserviti sunt, ac debentur, extrusis Catholicis vix dimidiam partem ad sustentandam legaliter vitam, minus aliquam ecclesiasticam functionem agere concedunt. Illos, qui privatim vivere volunt, permittendo, ne eosdem depulisse videantur.

18. Commendans in Furstenau sub praetextu defensionis (vulgo Schutzgelder) a singulis pulsis Pastoribus 5. 8. 10, imo 12 Imperiales emunxit.

19. Ea est calamitas inducta, ut subditis Catholicis ad loca extranea pro subsidio spirituali et animarum suarum solatio sit eundum.

20. Nec ibi finis sed etiam in districtu Reckenbergensi eodem modo contra regium verbum cum Catholicis proceditur. Nam die 6<sup>ta</sup> Octobris dum Joannes Sprengerus Pastor Catholicus in Gutersloe sacrificium missae solenne peragit, insinuantur ipsi literae *sub litt. G* ex consistorio (ut vocant) Gustavino 3. Octob. stilo novo datae. Peracto sacro a Custode evocatus e templo et insinuatione facta nequicquam contra praedictas litteras consistorij attentaret, nec Cathedram concenderet sed concionem differret in adventum officialium Osnabrugensium et Rhedenesium, idem Pastor in templo persistens concionem habet; qua peracta ab Officialibus Rhedenibus comitante praefecto Suecico in templum introducitur idem supradictus Joannes Edler interrogans: „Pastor, quorsum haec?“ responsum accepit, se non depelli, sed Pastor vim videns protestatus est publice ante altare coram toto populo. Hoc tamen non obstante taliter introductus Edler Ca-

<sup>4)</sup> Philipp Sigismund, Herzog von Braunschweig-Lüneburg, Bischof von Osnabrück 1591 — 1623.

<sup>5)</sup> qui fehlt.

Rump.

thedram concendit et concessionem fecit, qua peracta per dictos Deputatos Communitati praesentatus est uti pastor. Die octava Octobris eidem Sprengero Pastori per Custodem in Gutersloe nova facta est prohibitio templi et administrationis sacramentorum quam prohibitionem etiam 9. Octobris idem intrusus eidem Pastori denuo intimavit.

Et haec circa ecclesiastica pauca ex multis dixisse sufficiat.

*In Politicis seu Temporalibus.*

1. Die 28. Maij 1647 Furstenavia per fraudem obsessa et contra verbum etiam Plenipotentiariorum Suecicorum DD. Cae-sareis datum die 11. Junij capta est.

2. Post hanc dditionem, eodem mense Civitatem Widen-brugensem hostili obsidione cinctam 16. Julij in potestatem suam coegerunt.

3. In Districtu Furstenaviensi omnes ministri ac officiati saeculares Domini Episcopi ac Principis Catholici convocati sunt per Commandantem 19. Julij ex decreto regiminis Domini Gustavi et per Licentiatum Juris Tobiam Stauden in praesentia multorum aliorum novorum officiatorum substituendorum dimissi sunt, ad-ditis minis, ni parerent, Commandantem loci media opportuna adhibiturum, proinde statim alij substituti sunt, et ita omnis jurisdictio Ecclesiasticorum et temporalium immutata.

4. Quod idem etiam in districtu Widenbrugensi cum uno alterove inferiori officiato cooperunt, et reliqua ulteriora medi-tantur.

5. Coacti 14. Septembbris Paderbornensem obsidionem solvere munitionem ac moenia item portas Civitatis Widenbrugensis in regressu eodem mense demoliti sunt.

Ultra praedictam clausulam praeliminarium etiam alia inserta est specialis, quoad civitatem Osnabrugensem, quae sic se habet: Loca universalis tractatus sint Osnabruga et Monasterium in Westphalia, ex quorum utroque statim post commutatos ut infra dicetur, salvos conductus educantur militaria partium praesidia et durantibus congressibus dictae Civitates sacramento utriusque partis solatae (*sic*) ad neutralitatem obligentur, Magistratui interim proprio cum milite et civibus sua cujusque urbis custodia relinquatur. Ipse vicissim dato reversali obstringatur ad fidelita-tem ac securitatem toti conventui praestandam ac tractantium res ac personas comitatumque sancte habendum et custodiendum.

Et si quid ab eo pro communi tractatus bono requisitum fuerit, praestet se quidem obsequentem, neutrius tamen partis jussa exequatur, nisi ab utroque Legatorum corpore collegiatim insinuata.

1. Contra utramque clausulam, dum Vechta obsideretur, pro exercitu Suecico ex et per Civitatem Osnabrugensem in subsidium hostilis obsidionis saepius avecta est munitio aliaque necessaria.

2. Idem factum mense Maio et Junio per annonae subministrationem in copia hostili comitante caterva transvectae.

3. Similiter ad obsidionem Widenbrugensem iterum ex Civitate Osnabrugensi omnis generis commeatus in magna quantitate missus fuit, imo tormentis bellicis et militiae Suecicae transitus per Civitatem concessus.

4. Idem quoque factum cum miles Suecicus prope Warendorffum ad quatuor septimanas subsisteret.

5. Dum Widenbrugum obsideretur, Castrum S. Petri resideniam Episcopalem juxta Civitatem die 24. Julij demoliri cooperunt ac etiam DD. Caesareanorum Plenipotentiariorum seria dehortatione de desistendo 28. Julij in scripto facta non attenta ad libidinem usque prosecuti sunt demolitionem.

6. Officiatis ac militibus Caesariis Civitate Osnabrugensi (licet loco omnibus partibus neutrali) intra brevem terminum exire mandatum fuit, quamvis Monasterij et Suecicis et Hassicis hactenus ex causa neutralitatis nunquam inhibitum sit commorari.

7. Qualis ac quanta annona denuo 120 curribus onustis ad castra Suecica prope Rhenen publice adhuc octava huius mensis Octobris die ex Eadem Civitatem evecta sit, notorium est, nec non bene considerandum, quod quicquid passaportibus (ut vocant) variarum Legationum et sub fide ac authoritate Legationum congressus uti et pro necessitate Legatorum libere illi Civitati invenitur, id in hostilis<sup>6)</sup> exercitus utilitatem cedere, Legatos privari, nec non annonae caritate gravari.

Sequuntur Copiae Documentorum supra Citatorum.

A (ad artic. 3). *Litterae Regiminis Gustavici nomine datae ad Burgmannos et Magistratum Quackenbrugensem*

Memineritis, qualiter illi Civitati et incolis ejusdem a multis annis Evangelicis Praedicatoribus provisum fuerit, qui illis Ver-

<sup>6)</sup> Hs. hostiles,

bum Dei purum ac incontaminatum juxta tradita Prophetarum et Apostolorum Praedicarunt (*sic*), sacramenta etiam secundum institutionem Christi immutate administrarunt, usque dum anno 1625 in exilium acti, ipsisque Via facti Papistici surrogati sunt. Cum autem iam Divina auspicante gratia et Victoriosis armis Coronae Sueciae Satrapia Furstenaviensis cum omnibus Dependentijs tandem recuperata et Dno Comiti Gustavo quasi postliminio (*sic*) restituta; Hinc ratione Officij quo fungimur et Conscientiae ergo non possumus intermittere, quin Civitati Quackenbrugensi Evangelicum Praedicantem denuo ordinaremus. Prout cum consensu Consistorij huius Nos Reverendum ac bene doctum D. Magistrum Vitum Buscherum, uti doctum ac fidelem Praedicatorem vobis coniunctim et divisim, quam maximè possumus, recommandamus, et animarum Vestrarum Curatorem constituis, prout Vigore harum constitutum Volumus, ea spe freti, quod ipsi uti Vestro constituto Pastori omnem respectum debitum, bonam Voluntatem, amorem ac benevolentiam exhibebitis, ac per haec festa Pentecostalia cathedram eidem concedatis, et alteri Papistico, ne se ingerat, serio inhiberi facietis; et cum hoc ad animarum Vestrarum salutem Vergat, ita eo minus de Vesta promptitudine dubitamus, Vos Divinae protectioni commendantes.

Sigl. Osnabrg. 4. Junij S. V. 1647.

praes. <sup>5/15</sup> Junij.

Rudolphus Abeken secretarius  
et Notarius abs.

B. (ad artie. 4). *Litterae Nomine Consistorij Osnabrugensis Gustavini ad Joannem Arcularium Praedicantem.*

Significamus Vobis, quatenus Divina concessione, nec non Victoriosis Armis Coronae Sueciae Satrapia Furstenaviensis cum omnibus suis dependentijs tandem recuperata et D. Comiti Gustavo quasi postliminio restituta sit. Unde nos ratione officij nostri et Conscientiae intermittere non potuimus, quin Ecclesiae Ancumensi Parochiali ejusque Parochianis Evangelicum Praedicatorem ordinaremus, Et cum antehac Vos in eodem loco et functione fueritis, Ita eandem Divinam functionem in Dei nomine hisce litteris debite offerimus, et ad eandem Vocamus, petentes, ut tale ministerium pastorale pro solito salario, redditibus et accidentalibus ibi consuetis acceptetis, sanamque ac puram Doctrinam secundum invariatum salvificum Verbum Dei, et Corpus Doctri-

nae immutatae Augustae Confessnis eo sensu, prout in subsequenti apologia formulae concordiae et articulis smalcaldicis, nec non in parvo ac magno Catechismo Lutheri, in libro item concordiae plenius continetur, doceatis, ac communitati Christianae tradatis, Christianae etiam Vitae exemplo ac moribus Vestris futuris auditoribus ac Parochianis lucem preeferatis, prout confidimus; Vos Divinae protectioni commendantes. Sigl. Osnabrug. 17/7 Julij 1647.

Joannes Witte publicus et consistorij  
Deputatus Notarius.

C. (ad artic. 4). *Decretum Regiminis Gustavi ad Vogtetum in Anckum Henricum Schumacher.*

Bone Amice; Postquam D. Joannes Arcularius in Pastorem Ancumensem Vocatus sit, et intendat Pastorale Ministerium acceptare; Hinc Vobis mandamus, ut Catholico Pastori serio indicietis, ne impostaum (*sic*) Cathedrae et omnibus alijs Ecclesiasticis functionibus in dicta Parochia, sub arbitraria poena, vlo modo se immisceat, sed ut omnem ad Ecclesiam pertinentem suppellectilem, illius ac Pastoratus Redditus, Domum item Pastoralem, et quicquid annexum est, cedat, omnino curabis. Osnabrug. 18/28 Augusti 1647.

D. (ad artic. 5). *Mandatum ad Decanum Quackenbrugensem a Regimine D. Gustavi ratione Reddituum Collegiatae Quackenbrugensis Ecclesiae.*

Reverende ac bene docte, Amice bone; Cum aestimemus necessarium, ut Redditus Capitulares per exhibitem harum Hilmarum Vossium Notarium publicum exigantur, et ad debitum locum consignentur; Hinc Vos ad hoc Necessaria Registra ipsi consignabitis et quicquid a recuperatione Furstenaviensi recepistis, tradetis. In quo obtemperare scietis. Siglm. Osnabrug. 21/31 Julij 1647.

E. (ad artic. 7). *Litterae nomine Regiminis Gustavici ad Badbergenenses Parochianos.*

Sunt Verbotenus ejusdem Tenoris, mutato solum nomine Praedicantis Justi Schwandelij, *uti supra sub lit. A.*

Subscriptum (*sic*)

Joannes Witte  
Notarius publicus.

F. (ad artic. 12). *Litterae Consistorij Gustavini ad Aediles et Provisores Ecclesiae Parochialis in Alfshausen.*

Cum necessarium judicemus Pastoratui Vestro de qualificata Evangelica persona iterum providere, eum in finem exhibitor harum honorabilis et bone (*sic*) doctus Joannes Justus Edeler S. S. Theol. et Philosophiae studiosus, unam concionem Probaticam (*sic*) habiturus est; Qui si vobis et communitati in Concionando placiturus sit, Nobis indicare poteritis, et tunc eundem vocabimus et confirmabimus. Signatum Osnabrug*i* 13/23 Aug. 1647.

Joannes Witte  
publicus et Consistorij Notarius.

G. (ad artic. 20). *Litterae nomine Consistorij Osnabrugensis Gustavini ad Joannem Hermannum Brandts Vogtetum in Güterslohe.*

Postquam D. Comes de Teckelburg latorem harum D. Pastorem Joannem Justum Edler pro Pastore in Güterslohe communitati praesentare intendat, et eum in finem ille proxima Dominica die Concionem Probaticam facturus sit; Hinc Vobis mandamus, ut dicto Dno Pastori Edeler in omnibus prompte assistatis, Catholico Pastori Cathedram interdicatis, et omnem promotionem ipsi novo Pastori praestetis; His praevijs dictus D. Edeler a Nobis ad dictam Parochiam vocabitur et confirmabitur; Siglm. Osnabrug*i* 23. septemb. — 3. octob. 1647.

Joannes Witte publicus Consistorij  
Deputatus Notarius.

H. (ad artic. 1. Polit.). *Litterae D. Koenigsmarckij ad Commendantem in Furstenaw de 6. Maij 1647.*

Cum Vigore Armistitij, quod Ulmae cum D. Electore Bavariae factum est, liberum sit Dno Electori Coloniensi idem acceptandi, et intra certum terminum se declarandi, cum autem idem terminus brevi expiraturus sit, mihique non constet de mente S. Celsnis Sermae. Hinc praesentem tubicinem ablegavi ad inquirendum a D. V., quid tam de loco ipsi commisso quam praesidio mihi fidendum sit, desuper responsum expectando, maneo

D. Vrae Benevolus

Joannes Christophorus Koenigsmarck.

NB. Quasi non scivisset locum esse et praesidium Dni Episcopi Osnabrugensis et praeliminaribus inclusum ist unten bemerkt.

I. (ad artic. eundem == 1 Polit.). *Responsum Commandantis Furstenaviensis de 10. Maij 1647.*

Praemissis praemittendis etc. Litteras Extis Vrae de 6. Maij heri debite per tubicinem presentatas accepi. Eidem pro responso significo, me a Celsissimo Principe D. Episcopo Osnabrugensi, Domino meo Clementissimo, dudum in mandatis habere, ut locum hunc mihi commissum defensive tantum habeam, et Praeliminaribus Hamburgensibus conformiter me geram, nec ullam hostilitatem contra Coronam Sueciae et ipsorum Unitorum Exercitum offensive exerceam, nec ut ullum alium militem praeter S. Celsitudinis mediatos admittam, expresse mandatum mihi est. Unde etiam confido, Exm<sup>m</sup> Vram similiter contra hunc locum nil hostiliter attentaturam, sed potius subditos huius Satrapiae, incolas omnes, Ecclesiasticos, Nobiles, laicos, officiarios per Saluaguardias conservaturam, ne violentijs, depraedationibus, incendijs, ac rapinis exponantur, praesertim cum tam magnis ac gravibus contributionibus utrumque a multo tempore onerati sint, ut difficulter emergere queant; spero aequitatem probatum iri ab Ex. Vra cui maneo paratissimus, et extra meum servitium ac obligationem

Obediens M. W. Koboldt<sup>1)</sup>.

NB. Post has litteras statim à Koenigsmarkio esse missas diversas salvaguardias.

L. (ad artic. 3 Polit.). *Mandata Regiminis D. Gustavi sub 17/7 Julij 1647.*

Dimissionem officiatorum D. Episcopi concernentis Clausula.

1. Cum ordinatio officiatorum uti Quaestoris, Judicis, Seribarum, Receptorum et Ductorum diutius suspendi non possit, hinc Nos Domino Licentiato Tobiae Stauden plenipotentiam de-

<sup>1)</sup> Michael Wilhelm Kobolt von Tambach, ein geborner Bayer, kam als Kammerjunker mit dem Bischofe Franz Wilhelm nach Osnabrück, wurde von diesem zum Drosten ernannt und zugleich Commandant zu Füstenau. Über seine Vertheidigung dieses Ortes sowie über die endliche Übergabe desselben vgl. von Dinklage in den Mittheilungen des histor. Vereins zu Osnabrück I. 162 ff., wofolbst auch Kobolt's Tagebuch und andere Actenstücke sich finden.

Rumpf.

dimus illos subditis usque ad alteriorem ratificationem Comitis Gustavi, gratiosi Nostri Domini, sistendi ac praesentandi, nec non Domino Commandanti in suam protectionem committendi; Episcopibus Vero Ministris sub poena amissionis omnium bonorum, ne ex illis ullus quoquo modo impostastrum (*sic*) se immisceat, serio inhibendi.

2. Et cum Dictus Dominus Gustavus rescripserit, quod Quaestoratu provisum Velle, hinc Christianus (*sic*) Lappe ad interim una cum Receptura idem officium administrabit.

M. (ad artic. 5. Polit. Civitatis). *Litterae Caesareanorum ad Civitatis Osnabrugensis Magistratum.*

A fide dignis accepimus, qualiter vos initium demolitionis Castris S. Petri feceritis, et etiamnum secundum propriam voluntatem et quidem hoc praetexendo de facto pergatis, quasi Nos uti Plenipotentiarij Caesarei Nostrum ad hoc consensum praebuerint; Vester quidem Deputatus Plenipotentiarijs Coronae Sueciae exhibuit, et illi Nobis Proiectum quoddam communicarunt, ubi petitur, Ut inter Caetera Instrumento pacis publico etiam demolitionis dictri castri inseratur; sed nec in hoc nec in alia noviter postulata in minimo condescendimus aut concessimus, sed adhuc una cum dictis Dominis Sueciae Plenipotentiarijs omnino in contradictorio Versamur, et in indecisus. Unde omittere nec potuimus nec debuimus, hoc Vobis pro Vestra directione indicare, quod talia injuriouse et male de Nobis spargantur. Cum Nos etiam hunc actum demolitionis, qui immediate contra Hamburgensia Praeliminaria est, (quorum vigore nulli parti talem mutationem sine unanimi consensu totius Legationum conventus facere licet) nullo modo approbare possumus aut intendimus. De quo olim vos respondebitis; Interim Vobis addicti manemus. Monasterij 28. Julij 1647.

---